



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

XV. De libertate voluntatis divinæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

per efficac, cum non semper fiat quod Deus præcipit aut consulit. Voluntas autem beneplaciti antecedens, qua Deus vult omnes salvari, etsi absolutè non sit efficac, cum effectu careat; dicitur tamen efficac secundū se seu conditionatè, quatenus vi illius reprobī salutem efficaciter consequerentur, nisi illius efficacīæ impedimentum apponerent: consequens verò seu absoluta Dei voluntas semper est efficac, ita ut infallibiliter eveniat, quidquid Deus ea voluntate vult: voluntati enim eius quis resistet? *Rom. 9.* Cujus ratio sumitur ex omnipotentia virtutis divinæ, quæ à nulla creatura impediri potest, unde si homo non facit quod Deus vult voluntate antecedente, Deus facit in illo, & de illo quod vult voluntate consequente; ex illius peccatis efficaciter colligendo gloriam suam.

CAPUT XV.

De libertate voluntatis divinæ.

RESOLUTIO I. *In Deo ponenda est libertas, eaque consistens non in indifferentia iudicij, sed in indifferentia ipsius voluntatis potentis eligere hoc aut illud.*
PRIMA PARS EST certa ex Scriptura quæ multipliciter denotat in Deo esse libertatem, ut cum ait Deum facere quicquid vult, dividere singulis prout vult, salvare quos vult, &c. *Ratione* etiam ostenditur, quia ponenda est in Deo omnis perfectio simpliciter simplex, qualis est libertas, utpote quæ melior est ipsa quàm non ipsa, nec majori repugnat perfectioni. *Confirmatur* nam omnes creaturarum perfectiones ponendæ sunt in Deo, detractis imperfectionibus, at libertas magna est perfectio in Angelis & hominibus, quare potiori titulo in Deo constitui debet.

Secunda pars ostenditur, tum quia omnia Scripturæ & SS. Patrum testimonia, quibus probari solet Deum esse agens liberum, libertatem illius explicat, non per iudicij indifferentiam, sed per indifferentiam ipsius voluntatis potentis velle & non velle.

agere & non agere: tum quia illud non potest sufficere ad libertatem Dei, quod ne ad nostram quidem sufficit: at quis dicat hominem eo ipso esse liberum, quo judicat objectum aliquod esse ex se indifferens, seu posse eligi & non eligi, etsi non habeat voluntatem indifferentem ad illud eligendum, vel non eligendum, sed necessario illud amplecti debeat, aut necessario respuere?

Certè si hoc ita se habet, falluntur omnes Philosophi qui uno ore fatentur, etsi radix libertatis sit in intellectu, ipsam tamen libertatem formalem consistere in voluntatis indifferentia ad utrumlibet. Falluntur omnes Controvertistæ, qui docent, hæreticos hujus temporis destruere libertatem, cum ipsi non adeò stulti sint, ut negent prædictam judicii indifferentiam; satis enim experiuntur se non habere judicium dictans quicquid faciunt esse necessario faciendum, & alioqui ingenuè fatentur se videre meliora, probareque & deteriora sequi. Falluntur denique Scholastici quatenus communiter affirmant, vel supponunt ut certum, voluntatem creatam posse à Deo necessitari ad agendum, etiam supposita judicii indifferentia, & sanè quæ ratio afferri potest, cur Deus qui est infinitæ virtutis, non possit me adigere ad concipiendam necessario, & sine libertate volitionem dandi eleëmofynam, etsi intellectus mihi representet rationes pro utraque parte contradictionis, nec dicat eleëmofynam esse hic & nunc necessario erogandam? Vide plura hac de re in suavi Concordia disp. 2. sect. 3. n. 2.

RESOLUTIO II. Deus à sua scientia non determinatur quoad exercitium, ut hoc vel illud velit aut non velit, sed manentè eadem scientia necessaria ad aliquid agendum, potest illud non agere.] EST COMMUNIS contra recentiores Thomistas, qui in nobis constituunt judicium practicum, quoposito necesse sit nos operari, & idem dicunt de Deo; sed contra, male in nobis ponitur judicium prædictum, ergo multo magis

magis Deo denegandum est, sequela patet: quia Deus multò magis est independens à re volita quàm homo, huic autem independentiæ valde repugnaret iudicium illud, si esset in Deo: omnino mihi expedit ut mundum producam, vel ut Petrum prædestinem, &c. quia sic creaturæ viderentur Deo aliquo modo necessariæ. Antecedens ostenditur, primò quia S. Thomas q. 24. de veritate art. 2. ponit in brutis quandam actionum indifferentiam, quam docet non sufficere ad libertatem, eo quòd bruta movètur per iudicium determinatum ad unum: Et ibidem nostram libertatem ita defendit, ut non modo velit, liberum esse voluntati respuere, quod ipsi proponitur ab intellectu, sed etiam quod illa possit iudicium flectere quòd voluerit, ut sic eligat quòd magis arriserit: tantum abest ut putet ad liberam volitionem requiri iudicium ad unum determinatum, & ab ipsa voluntate independens.

Secundò prædictum iudicium tollit usum libertatis, ergo rejiciendum est, probatur antecedens, nam ex communi sententia, necessitas antecedens tollit usum libertatis, & sola consequens cum eo cohæret: at si daretur iudicium illud practicum independens à voluntate, ex eo sequeretur necessitas agendi antecedens; siquidem talis est necessitas quæ oritur ex suppositione antecedente, seu quam ponere aut tollere non pendet à nostra libertate.

Tertiò denique quod voluntas possit velle aliquid, etsi intellectus pensatis omnibus nò iudicet id esse absolutè amplectendum, talemq; volitionem nò imperet, patet, tum quia si occurrunt duo media omnino æqualia poterit voluntas unū eligere, relicto alio; tū quia etiam quando media sunt inæqualia, potest eligi quod minus utile iudicatur: tum quia sæpe voluntas eligit id, quod intellectus hîc & nunc omnibus pensatis, absolutè iudicat esse fugiendum.

Nota, non opus esse, quoties voluntas peccat, intellectum errare iudicando, hîc & nunc absolutè
melius

melius esse peccare, quàm non peccare: sic enim nemo peccaret, quin esset hæreticus: aliunde tamen peccatorem errare, quatenus non sufficienter considerat quæ à malo opere possent illum avocare, & de hoc errore posse intelligi verba illa *Proverb. 14.* Errant qui operantur malum, nisi ea malis de errore morum intelligere.

RESOLUTIO III. *Deus seipsum amat necessario, item creaturas posibles, existentes verò liberè, & tamen immutabiliter.* PRIMA PARS PROBATUR, tum de amore quoad specificationem quia aliquid amare necessario quoad specificationem, est non posse circa rem illam exercere actum odii. At Deus non potest circa seipsum exercere actum odii, cum nullam in se rationem mali deprehendere possit, sed potius summam bonitatem cum de amore quoad exercitiū, nam cum Deus se perfectissimè comprehendat; neque ab actuali sui cognitione abstinere possit, videatque se esse infinitè amabilem, & nihil deprehendat propter quod non semper actu ametur, consequens est eū se necessario amare quoad exercitium.

* *Dices, nonne potest Deus cessationem ab actuali sui amore, interdum apprehendere ut bonam, verbi causa, ad experiendam suam libertatem? Respondeo negativè, tum quia ea cessatione posita, sequeretur eum mutari: tum quia Deus non esset perfectè beatus, eò quòd ad perfectam beatitudinem requiritur actualis amor summi boni.*

Secunda pars ostenditur de utroque amore: de priori quidem, quia creaturæ posibles cum ut sic, habeant aliquam bonitatem, neque ullam includant rationem mali, non possunt odio haberi; quare Deus illas amat necessario, quoad specificationem, De posteriori verò, quia cum res sint posibles; antequam Deus statuat eas creare, amor quo eas diligit, antecedit quodcunque decretum illius liberum, adeoque est necessarium quoad exercitium, nec potest non esse in Deo; siquidem in eo statu res posibles
habent

habent aliqualem entitatem, secundum quam terminant cognitionem Dei, & consequenter aliqualem bonitatem, secundum quam terminant simplicem affectum divinæ voluntatis, qui proinde non potest non esse necessarius.

Confirmatur, nam Deus necessariò intelligit creaturas posibles, ergo & necessariò easdem diligit. Sequela patet, quia sicut Deus non potest seipsum comprehensive cognoscere nisi simul cognoscat omnia possibilea; ita nequit seipsum comprehensive amare, id est, secundum totam latitudinem suæ amabilitatis, quin etiam res omnes posibles diligit, affectu aliquo complacentiæ. Sicut enim non potes comprehendere artem alicujus, nisi ipsum artefactum cognoscas; ita fieri nequit, ut artem illam perfecte diligas, quin simul tibi aliquo modo placeat opus, quod scis ab ea prodire posse.

Dices, si Deus necessario amaret res posibles, sequeretur eum determinari ab illis, quod absurdum est. *Respondeo* negando id sequi, sicut enim Deus à sua veritate determinatur, ad cognoscendas res posibles; ita à sua bonitate determinatur, ad eas diligendas.

Tertia pars suadetur, quia Deum amare creaturas existentes, hoc est eum efficaciter velle ut existant, & vi talis volitionis eas in tempore producere: at Deus res non producit ad extra necessario, sed liberimè, ergo liberè amat creaturas existentes, seu quoad actualem earum existentiam: minor est de fide, & probatur breviter contra VVicleffum, quia si Deus ageret ad extra ex necessitate naturæ, nullum actum liberum posset exercere, cum liber non sit circa seipsum, aut circa creaturas posibles, adeoq; non esset agens liberum, contra superius dicta: & rursus nulla ab eo esset creata causa libera, quia nullum esse potest agens liberum per participationem, si non sit agens liberum per essentiam, à quo talis perfectio participetur.

Vltimo

Ultima pars ostenditur, 1. ex Scriptura, Proverb. 19. Multa cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit. Et Hebr. 6. volens Deus ostendere immobilitatem consilii sui. 2. Ex August. 12. Confess. cap. 15. ubi ait, Deum non velle modo hoc, modo illud: sed semel, & simul, & semper velle omnia quæ vult, non iterum, & iterum; neque nunc ista, nunc illa: neque velle postea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat: quia talis voluntas mutabilis est, & omne mutabile æternum non est, Deus autem noster æternus est. 3. Ratione, nam voluntas Dei libera spectari potest, vel secundum entitatem suam, vel secundum terminationem ad tale objectum: at neutro modo mutari potest, non primo; cum sic idem sit ac substantia Dei; nec secundo, tum quia voluntas inconstans indicat naturam realiter mutabilem, tum quia voluntatis levitas dicit saltem quandam mutationem moralem, à summa Dei perfectione alienam.

Dices, eum non esse inconstantem, qui ob rationem aliquam magni momenti, sententiam mutat. Respondeo hoc verum esse, quando talis ratio non fuit prævisa, aut non satis penetrata, quod in Deo locum non habet, Quod autem dixit Deus Genes. 6. Poenitet me fecisse hominem, intelligi debet quoad effectum, non quoad affectum: quia Deus delevit hominem quem creaverat, ac si verè doluisset se eum creasse.

RESOLUTIO IV. Libera volitio Dei non est denominatio extrinseca, aut respectus rationis, neque perfectio realiter distincta ab essentia divina sed ipsamet volitio necessaria qua Deus amat seipsum, quatenus ita terminatur ad creaturas, ut possit ad eas non terminari.]

PRIMA PARS PROBATUR, nam libera volitio est aliquid Deo intrinsecum, cum sit actus vitalis & immanens, ergo non potest consistere in denominatione extrinseca, orta à productione creaturarum, quatenus ita producuntur ut potuerint non produci.

Confir-

Confirmatur, quia prius est quod Deus velit creaturas liberè, quàm quòd eas producat; cum ideò illas producat, quia vult eas liberè, & non vice versa: ipsa que volitio libera sit æterna, & productio temporalis.

Secunda pars ostenditur, nam Deus à parte rei liberè vult, idque ab æterno, adeoque ante operationem intellectus fingentis respectus rationis, ergo volitio Dei libera non potest sive totaliter, sive partialiter constitui per tales respectus: præsertim quia sunt Deo extrinseci, & supponunt res producendas, ac proinde quod Deus liberè velit eas producere.

Tertia pars suadetur, quia si actus liber est aliquid distinctum realiter ab essentia divina, sequitur Deum esse compositum, habere potentialitatem, non esse summè perfectum, quæ & similia admitti non possunt; neque putes ista incommoda vitari, si quis dicat cum Cajetano, actum liberum ita addere perfectionem realem divinæ essentiæ, ut cum ea perfectè identificetur, eo ipso quod illi advenit; siquidem intelligi nequit, ens aliquod possibile & contingens perfectè identificari cum divina essentia, quæ est ens absoluta necessitate existens.

Quarta denique pars ex dictis colligitur, nam volitio libera Dei, vel est totaliter in Deo, vel constituitur & completur per aliquid extrinsecum: hoc posterius rejectum est, ergo prius illud affirmari debet. Rursus si volitio libera est totaliter in Deo, vel ea addit realitatem aliquam supra volitionem necessariam, vel non, primum apertè falsum est, ut ostendimus, ergo secundum admitti debet: quare cum volitio necessaria, ut sic, nullam dicat libertatem, consequens est liberam volitionem Dei esse ipsammet volitionem necessariam, quatenus ea est indifferens ut terminetur, aut non terminetur ad creaturas.

Confirmatur i. nam volitio Dei est simpliciter infinita, ita ut æquivalet infinitis volitionibus, & nolitionibus realiter distinctis: quare ut sit libera volitio,

aut

aut volitio alicujus objecti, non requiritur additio novæ entitatis, sed tantum ejusdem volitionis libera terminatio ad tale objectum. Quemadmodum ut scientia Dei necessaria, sit scientia libera creaturarum, sufficit quòd ad eas liberè terminetur, cum posset non terminari.

Confirmatur 2. nam libertas Dei non est potentialis, sed summè actualis, seu per modum actus purissimi, excludentis potentiam physicam tam activam, quàm passivam, quæ in nostra libertate reperitur. Unde indifferentia divinæ libertatis non est in ordine ad actus internos, sicut nostra, sed in ordine ad objecta externa. Itaque sicut voluntas nostra per se ipsam immediatè, adeoque sine reali mutatione se determinat ad agendum, cum posset non agere; ita nihil vetat quin divina entitas per se ipsam, & sine ulla realitate superaddita, possit terminari ad hoc vel illud objectum, & induere rationem volitionis liberæ. Et quemadmodum si voluntas nostra esset ens necessarium, id non impediret, quo minùs actus ab ea elicitus libere fieret, si cum tali necessitate, conservaret indifferentiam quam habet ad agendum, vel non agendum. Ita quamvis volitio Dei sit necessaria quoad entitatem, cum tamen ea sit indifferens, ut se ipsam terminet, aut non terminet ad creaturas, hinc fit, ut quatenus se liberè terminat ad hanc, vel illam, dicatur volitio libera.

Dices, forma non potest esse in subjecto, quin illi conferat totum suum effectum formalem, ergo cum volitio necessaria sit veluti forma quædam existens in Deo, tribuet illi velle necessario omnia volibilia. *Respondet* effectum formalem volitionis divinæ esse, necessario facere ut Deus amet omnia volibilia, non tamen, ut Deus ea omnia amet necessario, sed singula, pro cujusque exigentia, & capacitate.